COMPENDIVM
VITAE, VIRTVTVM, ET MIRACVLORVM,

Necnon Actorum in causa Beatificationis, & Canonizationis

B. PHILIPPI BENITII

Ordinis Seruorum B. M. V. Propagatoris.

Ex Secretaria Congregationis Sac. Rituum.



ROMÆ,
Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apostolicæ 1671.

Superiorum permissu.

COMPENDIVM
VITAE, VIRTVTVM, ET MIRACVLORVM,

Necnon Actorum in causa Beatificationis, & Canonizationis

B. PHILIPPI BENITII

Ordinis Seruorum B. M. V. Propagatoris.

Ex Secretaria Congregationis Sac. Rituum.



ROMAE,
Ex Typographia Reuerendae Camerae Apostolicae 1671.

Superiorum permissu.



VTVRÆ specimen Ecclesiæ ostensurus apud Pathmos Ioanni Deus septem candelabra, itemque septem Stellas, ac totidem Angelos per visum demonstrasse dicitur, sic etiam vt stabilem, nec temporum iniurijs obnoxiam diuina sibi sapientia construeret domum, septem columnas, quibus structura totius operis innixa fulciretur, eam excidisse, diuinæ sapientię oracula testantur: idem quoque institutum, dicendum omninò est, prosecutum deindè fuisse humano sub aspectu cum filijs hominum delicias suas reputantis integerrimam Parentem, dùm sui nominis immortalitati non manufactum erectura, templum, septem itidem columnas; hoc est Sanctissimos inuicti pectoris viros Religiosissimæ Seruorum familiæ primos Institutores è reliquo cœtu mortalium excidit quodammodò, quo vehemens ventus irruens à regione deserti sacratissimæ huius Domus angulos concutere non posset, nèc filios sanctæ parentis opprimere: Hæc scilicèt Cœlestis illa Hierusalem, quæ cùm sit Cœlorum Reginæ filia, meritò in sponsam Agno destinatur; Non defuerunt tàm augusto templo innumera, eaque viua, & ad veræ virtutis formam expressa simulacra, quæ intèr sydera, velut scintillæ in arundineto discurrentes socios iungerent splendores, & diuina namquè manu Regnum decoris, & Diadema speciei acceperunt: Non vltimum intèr hos reliquit locum sua Beato Philippo Benitio omnibus expleta partibus virtus, quæ, vel in priuatæ vitæ conditione, vel in supremam, quam tenuit huius Religionis administrationé, velut lucerna ardens, & lucens posita super candelabrum, vt luceret ijs, qui in domo erant, vbique dignam admiratione se præbuit, quæ quoniàm adeò multiplici (vt ita dicam) illapsu ostendit ab horto suæ Religionis irrigans vniuersam superficiem terræ in tot varias diffusa partes est, ad quædam capita, & fontes quoad fieri potuit reducta.

Natus est prædictus Beatus in Ciuitate Florentiæ in Etruria ex Nobili, & antiqua Benitiorum familia, Patre Iacobo, & Matre

Albauerde legitimis coniugibus, qui, cùm diù absquè liberis vixissent, & de futura prole dubitassent, summis precibus votum Deo, ac Beatissimæ Virgini emiserunt, vt filium sibi concedere dignarentur, & factum est, vt anno 1233. die 15. Augusti in festo Assumptionis Deiparæ Virginis, eodem die, & anno, quibus ordo eiusdem Dei Genitricis in eadem Ciuitate Florentiæ mirabilitèr initium habuit, natus fuerit dictus Beatus, indequè baptizatus, ac debito tempore confirmatus, cuius Mater, dùm adhùc fętum substineret, ac partui proxima esset, in somnis sibi visa est ingentem flammam parere, qua totus mundus illuminabatur: hæc enim fides parentum, dies ipsa, in qua natus Beatus vir, vniuerso Christiano orbi salutaris, & huius Sanctæ Religionis natalis, flamma à Matre præuisa pronuntiarunt, qualis futura esset Sanctitas tanti Beati, qui, cùm adhùc sub nutricis custodia degeret, à cibo, & potu certis diebus abstinere se cæpit, vt hoc modo ieiunium præsignaret, quod tamen clarius distinguens grandior factus, sed adhùc puerulus, nocte accedente post ieiunium super terram nudam cubabat, vt corpus suum in seruitutem redigere inciperet, cum verò decimum annum excessisset, sensu Dei inualescente, orationi diù, noctuq; vacabat, donèc studiorũ causa à parentibus suis Parisios, & Patauiũ honorificè missus fuit. Reuersus postmodũ, Doctorali laurea insignitus vixq; ętatis suę annũ vigesimũ attingens, cœlesti inflammatus igne incessãtèr ieiunijs, & orationibus ad Deũ Omnipotentẽ confugiebat, petens, vt sibi voluntatẽ suam reuelare dignaretur, & contigit, vt, cùm aliquandò coràm Sacra Christi Crucifixi Imagine humilitèr prostratus cum lacrymis oraret, ità Christum sibi dicentem meruerit audire. *Abi Philippe in Montem Excelsum, ascende ad seruos Matris meæ, & Deo rem gratam facies.* Audita hac voce, & diuini amoris igne magis incensus seuerius edomare cæpit corpus suum ieiunijs, vigilijs, disciplinis, & orationibus, & dùm in feria quinta octauæ Resurrectionis perueniret ad Sacellum Sanctissimæ Annuntiatæ Florentiæ Ordinis Seruorum apud Casagiũ, & Sacrosanctæ Missæ Sacrificio interesset, audiens intèr acta

Apostolorum cap. 8. verba illa: *Philippe accede, & adiunge te ad currum istum*, statim raptus in exstasim visus est sibi in deserto manere scorpionibus, spinisquè circumuolutus, sed auxilio ex corde à Deo implorato, Cœlum respiciens, currum aureum, quem Leo, & Ouis trahebant, in eoquè Sanctissimam Dei Matrem Angelis comitantibus assidentem, & nigra sibi indumenta porrigentem, vidit, & eisdem verbis se Diuina voce inuitari audiuit; *Philippe accede, & adiunge te ad currum istũ.* sequenti autèm noctè in eundem mentis excessum raptus, clarius de vocatione sua certior factus, & ab eadem Deipara Virgine monitus dicente, *Eia Philippe celeriter ad eos fratres accurre, qui Serui mei nuncupantur; ab eis enim præuisi currus mysteria disces, quæ statim exequi possis*, quarè die 25. Aprilis feria sexta Resurrectionis Dominicę anni 1253. omni mora postposita Casagium petijt Superiorem loci tunc Fratrem Bonfilium adijt, visionem distinctè narrauit, interpretationem audiuit, habitũ laicorum ob nimiã humilitatem petijt, & inter alios fratres connumeratus est, itàut exindè mira Dei Saluatoris nostri bonitate, & B. M. intercessione paratus fuerit per bona opera satagere, vt certam faceret vocationem suam: Ideòq; vitã aliquãdiu in Monte Senario solitariam duxit; paulò post Sacerdos ex obedientia factus, omnibus mundanis, diuinorũ cõtemplatione despectis, omniq; animæ cogitatione in Deum solum directa in prædicatione verbi Dei nedum ipse perpetuò anxius, & sollicitus fuit, sed etiam totius Ordinis Prior Generalis effectus, mandauit, vt Prouinciales curarent, Nouitios dona linguarum assequi, vt euntes in vniuersum Mundum Euangelium omni creaturæ prædicarent, quarè Clemens IV. prædictum Beatum Concionatorem Apostolicum, & huius seminis dispensatorem in orbe vniuerso constituit, prout peragrando Prouincias Italię, Galliæ, Germaniæ, Poloniæ, Frisiæ, eo munere laudabiliter functus est cum messo magna, peccatores quamplurimos ad viam rectitudinis reuocando, & hæreticos conuertendo etiam cum vitę discrimine, laboribus, & animi angustijs omnium saluti incumbens, & hæreticorum odia in se concitans.

 Pater

Pater erat omnium pauperum, & ipſiuſmet paupertatis amantiſſimus; Nàm in ingreſsu ipſius Religionis patrimonio renunciauit, adeòquè paupertatem coluit, vt vili, & attrito habitu gauderet, pro vitæ neceſſitatibus eleæmoſinam peteret, eamdemque vitæ paupertatem ſuis fratribus, & alijs prædicaret, vti ſummum bonum, & à quo verus Ieſu Chriſti famulatus penderet.

Religionem ſuam propagauit per Monaſteriorum, & Congregationum numerum, & multitudinem priuatorum hominum habitum Seruorum eiuſdem Beatiſſimæ Virginis deferentium, vt ex eorumdem laboribus, pęnitentijs, & vigilijs ad maiorem Dei gloriam, ſalus animarum pereuntium, & præcipuè Hæreticorum zelo charitatis repararetur: Tres enim Confraternitates Seruorum Beatæ Virginis Tertij Ordinis inſtituit, primam Virorum Florentiæ, Piſtorij duas, vnam Virorum, alteram Mulierum: Rodulphus etiàm Rex Romanorum, & Imperator electus, & Auguſta eiuſdem vxor habitum Seruorum ab eodem receperunt.

Saluti proximorum continuò intentus fuit, & pace compoſita multos inimicos ab imminenti periculo liberauit, ſciens eos, qui non diligunt ſe, manere in morte, & qui odio proximum ſuum proſequuntur homicidas eſſe; Factiones enim Guelfforum, & Gibellinorum, quibus Piſtorij Ciuitas deſolabatur, extinxit, & pace compoſita, multi facultates ſuas in pauperes erogarunt, Ordinem Seruorum, Beatum Philippum ſequentes, ingreſſi ſunt, & ſignanter Bonauentura Bonaccurſus factionis Gibellianæ Dux, & Vbaldus Adimariorum familiæ Princeps.

Reformationi, & diſciplinæ Nouitiorum incubuit, quibus inſtruendis, Superiorum iuſſu in Ciuitate Senenſi adeò ſe totum tradidit, vt ordinationes, ac conſtitutiones, & monita conſcripſerit, ad eoſdem Nouitios, & alios ſucceſſiue in via Religioſæ perfectionis dirigendos, quæ poſtmodum norma futuris Nouitijs ſemper fuerunt, tanquàm à ſuperiore Generali approbatæ, & pertinentes ad effectum amoris.

Quibus accedit ſumma liberalitas in pauperes, & pietas ergà infir-

mos, quæ ſunt veræ charitatis, & dilectionis ſigna. Cùm enim Piſtorij audiuiſſet, fratrem Manettum tunc in Monte Senario ægrotare, ſtatim eò ſe contulit, dum eſſet Prior Generalis, vt in neceſſitatibus illi inſeruiret vſque ad obitum, & ſepulturam, prout fecit, propè autem Viterbium obuiam factus pauperi eleæmoſynam petenti, cùm aureum, nec argentum haberet, detracta ſibi veſte interiori, illam ei elargitus eſt, cum qua is à lepra illicò etiam mundatus eſt.

Cumque inter concionandum cuiuſdam populi vitia reprehenderet, iniurijs affectus, virgis cæſus, lapidibus petitus, & extra Ciuitatem eiectus eſt, pro quibus tamen, tanquam alter Stephanus, exorabat, & factum eſt, vt vnus ex perſecutoribus, Peregrinus nomine, tunc veniam petierit, & conuerſus in eiuſdem ſerui Dei, Religionem ingreſſus vitæ ſanctitate floruit.

Voluntatem ſuam direxit in executionem eorum, quæ, Dei gloriam, fidei propagationem, animarumque ſalutem reſpiciebant, condendo leges, & conſtitutiones pro regimine, & adminiſtratione ſui Ordinis prudentes, vt ex illis facilè cognoſcatur, diuino lumine Beatum virum illuſtratum fuiſſe, nàm ſeptem antiquorum Fratrum Fundatorum Decreta in vnum collegit, aliaque multa addidit, & in volumen Conſtitutionum redegit, verboque, & exemplo ad eorum obſeruantiam Fratres incitauit, Regulæ rigorem ſuauitate iugi, & leuitate oneris in amore Ieſu Christi temperando, neque partes huius virtutis potentiales in Beato Philippo otiosè remanſerunt, inter quas eſt Donum Conſilij, & perſpicacitas Iudicij, quam expertus Nicolaus Tertius illum Cardinali Latino ſororis filio in ardua Legatione adiunxit, exindè Ropulphus Primus paulò poſt Coronam Imperij adeptus, Oratorem miſit ad Pontificem, vt iterū impetraret Dei Seruum, qui exindè miſſus in Germaniam, inimicitias inter ipſum Imperatorem, & Bohemiæ Regem ſedauit, & ad ſinceram, ac veram concordiam reduxit.

Recedens etiam Beatus Philippus è Ciuitate Viterbij tranſiuit ad ſolitudinem Montagnatæ, vbi pane, aqua, & herbis per aliquot menſes contentus, naturalis delectationis oblitus, in oratione

per-

pernoctans, gustabat tantummodò quàm suauis est Dominus; & quā dulcia essent verba illius faucibus suis: ibique balneis quæ vsque in hodiernum diem S. Philippi nominantur, virtutem sanandi morbos impetrauit: Solitarius etiam per quatuor annos in quadam crypta Montis Senarij delituit, vbi inter altas rupes extructo paruo tugurio, quod adhuc extat, & in veneratione habetur ab omnibus, abstractus totoque animo cum omnibus suis potentijs, & viribus recollectus est, & factus vnus spiritus cū Deo, quare vsq; in diem hunc eiusdem crypta Montis Senarij, & Beati Viri immensi in Deum affectus illustriori redditur memoria, cum non longè ab Eremo defluat fons de Monte excelso, & durissima silice, qui guttatim ad modum lugentis, & quodammodò sudorem emittentis, guttas paruas, & crebras fluxu perenni in lapideam peluim emittit, quæ vsque ad summum impleta nunquam superfluit, nec vnquam deficit, & si quando ab Incolis vndequaque confluentibus ad aquam hauriendam pro ægrotantibus, & varijs febribus laborantibus euacuatur, illicò repletur, vnde fons Beati Philippi appellatur.

Florentiæ existens, & orationi incumbens, è Monte Senario vidit animas duorū ex Fundatoribus Ordinis sui, nēpè Vguccionis, & Sosteni, ad cælestem gloriam quasi duo lilia ascendere, & conuocatis fratribus, antequam de morte illorum nuntiaretur, hos Dei Seruos de hac vita migrasse palàm fecit, Rhenanam Prouinciam peragrando, cùm nocte quadam mentem in Deum Beatus Philippus eleuasset, Beatissima Virgo illum monuit, die sequenti, Ioannem nomine Nobilem, ac diuitem, summoquè loco natum, ad ipsum venturum, cui voluntatem Dei aperire deberet, vt Iesu Christo in Seruorum Religione promptum exhiberet obsequium, quod die sequenti factum fuit; Nàm Ioannes Philippum adijt, se nocte præcedente visionē à B. Virgine habuisse narrauit, eandem Beatus sibi communicatam respondit, & certior factus de voluntate Dei habitum suscepit, & in obsequio Saluatoris suauissimè obdormiuit in Domino: Cùm Prior Generalis existeret, & de tali munere deponendo cogitaret, Viterbium ad Clementem IV. tùnc ibi

com-

commorantem pertexit, sed visione in somnijs præuentus, existimans sibi manum non sinè graui dolore amputari, nisi à quadam muliere impeditus fuisset, à somno excitatus, dubius de somnij interpretatione, Lotharingio fratri, & comiti suo omnia narrauit, qui eandem visionem se habuisse, & vlterius à B. Virgine illius sensum didicisse respondit, amputationem illam manus nihil aliud significare, quàm abdicationem oneris à Beato Philippo præcogitatam, sique ea in re persisteret, perindè ipsum facturum, ac si manum sibi amputasset cum ingenti sui Ordinis detrimento, sensu autem explicato, à proposito statim recessit: Nocte quadam orans, lacrymis, & suspirijs vehementibus Beatissimæ Virgini Ordinem Seruorum in angustijs, & maximis persecutionibus positum commendabat, Sanctissima Mater ei apparens consolata est, dicens, hunc Ordinem persecutionibus non minuendum, sed augendum fore, & pro conseruatione eiusdem Ordinis ei reuelauit, vt fratribus suis iniungeret, quatenùs singulis diebus recitarent coronam quinquè psalmorum, & totidèm Antiphonarum, incipiendo à singulis quinquè litteris huius Sanctissimi nominis *Maria*: Rogatus ab Otthobono Cardinali Flisco Ordinis Protectore, vt Pontificatum sibi à Cardinalibus oblatum acciperet, indignum se tanto honore respondens subdidit: Tuquidèm ex diuina dispensatione ad talem dignitatem aliquandò assumeris, sed modico tempore eo frueris, proùt euentus docuit Adrianus V. nominatus, & paucis post diebus diem suum clausit.

His, & innumerabilibus virtutibus, & meritis plenus, absoluto Capitulo Generali ad Cryptam propè Montem Senarium se contulit, in qua per duos menses solitarius orationi, & contemplationi intentus permansit, indè discedens ad Senensem Ciuitatem peruenit, & postmodùm Perusium pertexit, vbi Honorius IV. Summus Pontifex morabatur, ad cuius pedes prostratus, & benignè ab eo receptus, & benedictione Pontificia munitus; Tudertum se contulit, & in Vrbis ingressu totam Ciuitatem sibi, tanquam Patri, obuiam habuit, & Ecclesiam ingressus in exstasim raptus est, quà finità, populo adstante, &

audi-

audiente aperuit os suum dicens, *Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quia elegi eam.* Succedente postmodùm die festo Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ, cùm in oratione pernoctasset, Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrauit, concionem ad populum de Regno Dei, & de Beata vita habuit, eaque peracta in leuem febrim incidit; Morbo autem ingrauescente, conuocatis fratribus, sui transitus diem prædixit, nempè Mercurij in octaua Assumptionis Deiparæ Virginis; ijsque adhortatis ad Regulæ, & votorum obseruantiam, ad Religiosam perfectionem, mutuamquè charitatem enixè contemplationi intentus, & sæpè verba Publicani repetens, *Deus propitius esto mihi peccatori*, pectus suum percutiebat, & ingresso cubiculum Sacerdote Sanctissimum Sacramentum deferente, è lecto surgens obuiam ei factus, humi prostratus ad Deum suum conuersus dicebat, *Tu es Domine, in quem credidi, quem prædicaui, quem amaui, quem toto tempore meo exquisiui*, pluribusquè alijs verbis iaculatorijs, Christi corpore, deuotè, & humiliter suscepto ad lectulum reductus, psalmos Dauid pœnitentiales profusis lacrymis recitare cœpit, cùm perdenisset ad versiculum: *Peccatores: Te rogamus audi Nos*, in extasim aliquot horarum raptus est, ac demùm in se reuersus Sacra vnctione munitus, Crucifixi Imaginē in manibus gestans, & iugiter deosculans lætus intonuit canticum; *Benedictus Dominus Deus Israel*, & *Psalmum in te Domine speraui*: & dùm pronunciaret verba illa, *in manus tuas Domine commendo spiritum meum*, oculis, ad Cœlum erectis obdormiuit in Domino die 22. Augusti 1285. Miraculis claruit; Etenim mulier manibus, pedibusque contracta, vt corpus Beati attigit, statìm domum incolumis remeauit: Cæcus, ad eius tumulum delatus, illicò visum recepit: Puer in agro Tudertino à Lupo strangulatus eiusdem meritis ad vitam reuocatur: Mulier, quæ, & miracula negare, & Beatum irridere præsumpserat, muta illicò effecta, dùm resipiscens ad illius pedes prostrata veniam precatur, pristinam loquendi facultatem recuperat. Vnicus Viduæ filius ex diutino morbo defunctus, dùm opem Beati Philippi

dolens